



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Hipponense In Africa Celebratvm, Svb Siricio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

neque eos, qui in Pazo coacti fuissent, prauidicium generali Canonis fecisse. Licuisse cuilibet absque dispendio catholicae veritatis Pascha celebrare die qua vellet, deinceps subiungit, vt scilicet episcopos Nouatianos schismaticos & haereticos, Nouatianus scriptor contra conscientiam & veritatem defendat. Vide Baron. anno 391. num. 17. 18. 19.

ANNO CHRISTI 395.
CONCILIVM HIPPONENSE
 IN AFRICA CELEBRATVM,
 SVB SIRICIO.

NOTÆ.

^a Concilium.] Anno Christi 393. pontificatus Siricii 9. imperatoris Theodosii 15. celebratum esse hoc Concilium, colligitur ex principio Africani Concilii, vbi hæc verba leguntur: *Gloriosissimo imperatore Theodosio semper Augusto tertium, & Abundantio viro clarissimo, consulibus, octauo Idus Octobris, Hippone Regio, in secretario basilicæ pacis.* Horum consulatum cum prædicta Christi, pontificis & imperatoris chronologia coincidere, fastos consulares intuenti patebit. Ob quam causam habitum fuerit, patres Carthaginensis Concilii initio breuiarii, de quo infra, his verbis indicant: *Ea, qua in Concilio Hipponensi iamdudum maturata sunt, & legitime ad corrigendam disciplinam salubriter gesta & statuta noscuntur, effrenata temeritate quosdam minime custodire.* Quod quidem adeo efficaciter præstiterunt, vt cetera Concilia postea in Africa celebrata, ex Hipponensi, tamquam archetypo quodam, complura mutuata fuerint. Decreto Concilii Carthaginensis, Cæsario & Attico consulibus, anno Christi 397. celebrati, ex quadraginta Canonibus & vno confectum est quoddam breuiarium, quo eorumdem, vt facilius innotescerent, breuis summa descripta est. Ipsi vero Canones Carthaginensi tertio intexti habentur: quo loco, quove ordine, marginales notæ singulis summis appositæ indicant. Huius Concilii Hipponensis meminit Possidius in vita sancti Augustini cap. 7. quæve in eo fuerint partes sancti Augustini, ita describit: *Per idem tempus coram episcopis hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Africa Concilium Hippone agebant, de fide & symbolo presbyter adhuc Augustinus disputauit.* Et quidem cum omnium laude & admiratione tanta, vt quem omnes episcopum cuperent, Valerius ne suæ ecclesiæ eriperetur, postularit & impetrauerit, anno Christi 394. sibi adhuc viuenti in episcopatu subrogari. Possidius prædicto loco cap. 8. Cui totius Africanæ prouinciæ episcopi omnes interfuerunt, iure meritoque alibi generale, alibi plenarium Concilium appellatur: licet vere tantum prouinciale fuerit. Vide Baron. anno 393. num. 33. & 34.

Concilii Hipponensis abbreviationes factæ in Concilio Carthaginensi tertio, infra post Canones eiusdem Concilii positæ habentur.

Concil. Tom. 3.

M m m